



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. I. Ad quid teneantur liberi erga parentes?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

VI. Si ex consuetudine patriæ fœminæ egredi non soleant tempore luctus, vel etiam post partum, *Sylv. Cajet. Fill. n. 229.*

VII. Si quis non habeat vestes statui suo convenientes, *Nav. Henr. Sa. Azor, Bon. l.c.*

VIII. Si quæ ex occulta fornicatione prægnans metuat, ne id advertatur, si prodeat. *Laym. l. 4. t. 5.*

IX. Si quæ sciret, alteri, à quo perdite amaretur, fecuturam occasionem peccati, si prodiret, *Sa. Fil. n. 227.*

C A P U T . II.

De IV. Precepto: Honora Patrem, &c.

D U B I U M . I.

Ad quid teneantur liberi erga parentes?

Resp. Tenentur vi hujus Præcepti, tum genitoribus, tum superioribus, in iis rebus, in quibus quisque, & quamdiu subjectus iis est, amorem, reverentiam & obedientiam præstare; ita ut si nota-bilis horum defectus sit, in re gravi graviter peccetur: quod facilius fiet respectu parentum, quam aliorum, *Ita communiter v. Fill. t. 18. p. 2. c. 1. Regin. l. 2. c. 1. &c.* Unde resolves.

1. Contra amorem graviter peccat filius, 1. si signa odii parentibus ostendar, & asperè tractet, 2. si torvo oculo ferè semper intueatur, ac ita asperè loquatur, ac si odio haberet, si non subveniat in gravi necessitate spirituali vel corporali. 4. si non impleat eorum testamenta & legata, modò hæres sit. 5. si grave malum, v.g. mortem illis optet. *N. a. Regin. l. 20. n. 8. Fill. t. 28. c. 1. q. 3. &c. 7.*

II. Con-

II. Contare reverentiam graviter peccat filius, si percutiat etiam leviter, & secundum Regin. 2. Si manum ad percutiendum deliberatè attollat, 3. Si graviter contristet. Regin. l. 20. n. 24. Fill. n. 17. & 18. 4. Si animo deliberato ad gravem iram provocet verbis contumeliosis, vel talibus, quibus sciat graviter offendendos. 5. Si maledicta, convitia, &c. in eos conjiciat, Nav. Fill. &c. 6. Si pauperes despiciat, vel nolit agnoscere, quod si tamen exterius tantum dissimulet se nosse, & nolit apud se habere, ex justa causa, dummodo provideat de necessariis, Bon. excusat à peccato gravi, eò quod rationabiliter non sint inviti. 7. Si in foro externo etiam de vero crimine accuset, extra crimen hæresis, proditionis, vel conjurationis in Principem, cum non est alius corrigendi modus, v. Bon. d. 5.

III. Contra obedientiam graviter peccat, 1. si in re gravi sit inobediens circa ea, quæ pertinent ad gubernationem domus, bonos mores, vel animæ salutem. Fill. n. 20. 2. si contra voluntatem parentis ducat uxorem se indignam. Indigna autem dicuntur, cum qua non potest contrahere sine dedecore juxta suæ regionis usum, non tamen potest exhæredari idcirco. 3. si sine justa causa nolit eam ducere, quamvult parens; maximè si inde soperirentur odia, aut parentum necessitas levaretur. Erit autem justa causa, v.g. si sit impar familia, si infirma, deformis, fatua, vel immorigera. 4. si in consultis parentibus nubat, ut habet Sanch. Potest tamen, ubi consuluit, ipsis inyitis prudenter contrahere cum se digna: cum circa electionem status

fit sui juris. *Leff. l. 2. c. 40. n. 43. Sanch. l. 4. c. 15. Fill. q. 10. n. 20.* An & quomodo peccent liberi furando parentibus, vid. infra *l. 3. tr. 5. c. 1. dub. 4.* Item, an alienare possint bona, vid. infra *l. 3. tr. 5. d. 2. & li. 3. tr. 5. c. 4. d. 1.*

IV. Tenetur proles alere parentes egentes, a dedo, ut si in gravi necessitate aliter juvari non possint, teneatur manere in seculo (nisi tamen in hoc illi certum, vel certò valde probabile périculum salutis immineret) & si religionem sit ingressus, teneatur egredi, & juvare parentes, dummodo eorum necessitas ejus professionem antecesserit. *Fill. q. 5. n. 9. Bon. q. 1. p. 6.*

V. Si verò necessitas post professionem superveniat, si ea extrema sit, tenetur egredi, petita prius, licet non obtenta venia. Si autem sit gravis tantum, in qua ut cunque possint vivere, non tenetur quidem, potest tamen egredi, si Prælatus permittat. Quo casu tenetur, in quantum non obstat suo intento, deferre habitum, & observare substantia lia Religionis: at postquam parentibus subvenatum est, redire. v. *Leff. l. 2. cap. 41. dub. 3. vid. & infra tr. 5. c. 1. dub. 4.*

D U B I U M II.

Ad quid teneantur parentes erga filios?

Parentes, quo nomine etiam intelliguntur ascendentes, v.g. avus, proavus, &c. tenentur gravi obligatione juris naturalis, conservationem & educationem liberorum curare Circa quod ex *Bon. d. 6. q. 1. Azor. p. 2. l. 2. q. 17. Fill. tr. 28. c. 2.* resolvuntur hi casus.

I. Gra-